Infans commodiùs alitur lacte materno quàm nutricis alienæ.

NOn consanguineo positi ferrumine muri
Ecstaticos torquent miracula; tanta, Quirine,
Horrida barbarici haud irritamenta furoris
Jndidit impavidi Mavortis crimine turgens
Ilia, virginei quondam temerata pudoris
Sacra Deæ luitura; hoc non humana dederunt
Ubera prodigii, rabidarum sæva luparum
Immisêre suos immanes inguina mores,
Jnque fero tradux venit hæc truculentia lacte.
Haud nuda haurimus primis alimenta sub annis,
Indita transfundunt ea non infida futuri
Auspicia ingenii; perstant infixa medullis,
Inconcussa manent vitiorum semina, læsa
Tradita quæ dederat conducta per ubera nutrix.
Mater atrox, nivei latices scatebrásque fluoris
Cur donat natura tibi? cur pectore pulchro
Lactifero geminata sororiat ubere mamma?
Quæ permutati sequitur jam nausea victûs?
En validis ruptus vagitibus ut sua matri
Testatur natus fastidia, sueta prioris
Debita perquirens alimenta & gaudia victûs.
Hinc caput immeritum lethalia semina morbi
Atroci exercent stimulo, collapsáque tandem
Corpora squallenti languore, parentis inertis
Icta luunt diro crudelia crimina fato.
Hinc sopita perit ϛοργῆς scintilla, sagacis
Implantata manu Naturæ, hinc cassáque nati
Pectora congenitis affectûs impia flammis.
Dimidiata tuæ sobolis, nonintegra mater,
Expetis officium frustrà aut genetricis honores;
Si totum expectas natum, sis integra mater.

Spiritus vitales nullibi existunt à sanguine separati.

SI quid in humano scrutari corpore velles
Sincerum, tacitâ quærens indagine partes
Immixtas, operam ludis; cùm singula miscet
Plastica naturæ miro coramine dextra.
Nempe capit partem pars, & sic quæque propinquæ
Contiguos infert nexus. *Unita foventur
Amplexu proprio, premit indigesta ruina.*
Insinuant sese miris amplexibus ipsi
Aerei comites, ac dum se sanguine tingunt,
Arctos irriguo mulcent humore canales:
Circuitúque meant vario, quà arteria ductum
Præbet, quáque patet teneræ plaga cærula venæ.
Hinc est quòd gradimur, sentimus, vivimus; ipse
Sanguis per cunctos gradiens hinc indè meatus,
Efficit ut quodvis fungatur munere membrum.

ERGO,

Spiritibus, quia sunt ipso cum sanguine mixti,
Nulla datur sedes, ubi seorsim existere possunt.

Jul. 5. 1653. *in die Com.*

Resp. M^ro. Brady, *Coll. Cai. Gonv.*